



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorum

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorum, 1607

III. Nonas Octob. Cosmæ Monachi Tremenda Visio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

COSMÆ MONACHI VISIO 33

us in prato spiritali cap. 14 & 15. à quo appellatur Ioannes Abbas presbyter, postea Cæsareæ Palestinæ Episcopus. vnde videtur colligi præcedens caput de senè Cuzibino ad hunc non pertinere.

III. Nonas Octob.

COSMÆ MONACHI 5. Octob.
TREMENDA VISIO.

Tertio decimo anno Romani Imperatoris, qui admodum religiosè & piè rem Romanam administrabat, vir quispiam erat Constantinopoli regia vrbe, Alexandro, qui paulò ante imperitarat, à cubiculo, ipsique Imperatori ex officio per familiaris. Hic aula relicta monachum induit; mox canobio ad Sangarim fluuiũ præfectus: post aliquot annorũ decursum, graui morbo correptus, diu admodum eo detinebatur. Ergo quinto iam mense, quo laborare cœperat, peracto, circa * tertiam diei horam, sibi aliquantulum restitutus, in lectulo resedit, vtrinque à ministris inter bracchia gestatus. Sed dum sederet, subitò mente à sensibus auocata, à tertia ad nonam vsq; in eo mentis excessu permansit, oculis in laquearia defixis, ore submurmurans semiplena, inarticulata, & quæ omninò intelligi nò possent, verba. Circa sextam, quasi medio raptus tempore, paululum in se reuersus à circum-

* Hac est
nona apud
nos.

C stantibus

stantibus ministris duo sicci panis crustula
petijt: date, inquit, mihi duo panis frustula,
quæ à venerando sene accepi. Quod cum
diceret, simul manus in sinus explorando
panemque inquirendo demisit. Erant ex
præsentibus, qui putarent, non esse cælestè
aliquam illustrationem, sed mentis alienæ
phantasmata: quare rogarunt uti ingens (si
quod esset) mysterium visi aperiret: Dic pa-
ter (inquiunt) neque nobis, quod prodesse
possit, inuide: ubi tot horis eras? quo specta-
culo, quæue contemplatione mentem ere-
ctam habebas, quid ita labra motabas, qui
cum sermonem miscebas? Ille verò afflictis
illis, & lamentantibus, desinite, inquit, filio-
li, Domino fauente, ubi ad me penitus re-
diero, causam vobis totam exponam, postri-
diè ergo prima luce, cum tota fratrum soda-
litas concurrisset, narrationem hunc in mo-
dum instituit. Ut omnia singulatim animò
complectar & subijciam, patres, fratresque,
atque speciatim enarrem (quæ vidi) neque,
mens, neque vox humana vlla ratione asse-
qui possit. Sed quæ memoria teneo, quæque
explicare potero, illa declarabo. Quando
in lectulo resedi, à geminis hinc inde fratri-
bus suffultus, visus sum mihi videre, velut è
sinistro latere homuncionum ingentem
turbam, quorum vultus describere non pos-
sum,

sum; erant atri omnes, sed non perinde ex
 æquo omnes, sed alij alijs atriiores. Nonnulli
 retortas habebant frontes, alij sigillatos
 oculorum orbis sanguine suffusos, alij ferū
 quid & trūculentum videbant; & vni quidē
 tumentia liuentiaque labra, alteri vnum;
 idque superius, vel inferius tantum erat.
 Huiusmodi ergo monstra homuncionum
 ad lectum meum præsto fuerunt; quæ me
 ex manibus vestris abripere conabantur. Ac
 primum quidem, cum vos in orbem me
 cingeretis, non admodum trepidabam,
 neque impetum illorum raptumque formi-
 dabam. cū subito quasi desertus ab omnibus,
 ac nescio quomodo solus relictus, ab illis
 opprimor, qui me sanè audacissime inuadē-
 tes alij antrorsum raptabant vinctū, alij po-
 ne protrudebant, alius aliunde irriterbat,
 alij grauitèr pulsabāt. Tandem deduxerunt
 me ad prærupta ingentia, quorum latitudo
 non excedebat iactum lapidis, altitudo verò
 (si despiceres) ad ima descendebat tartara.
 Ad hoc me præcipitium vi magna protraxe-
 runt. In vnâ porro rupis parte, via erat tam
 arcta, vti ne vnus quidem pedis totum ca-
 peret vestigium. Ad hæc angusta locorū
 me per vim raptabant: vbi ego me dextror-
 sum inflectebam, ne in illud inexplicabile
 & immensum chaos & barathrum præcipi-
 rarem

rarem. In infimo autem hiatu, flumen torrentis instar, aquarum strepitu fremebat ac permeabat. Ergo cum non sine ingenti trepidatione angustias illas euasissetus, ad Orientem quasi tendebamus, ubi ad finem seu principium & fauces illius formidandi scopuli, & fluminis infra subiecti portam ingentem modicè apertam reperimus, ad quam excubabat gigantæa mole viri, aspectu fædus & ater, truci & atroci vultu, luminibus distortis, ingentibus, cruore suffulis, flammaram faces eiaculantibus, naso fumū proflante, lingua totum cubitum extra os exserta: cui dextra manus quasi penitus examinata & arida, altera verò instar columnæ crassescebat, nuda & in longum protensa, qua noxios prendens in chaos illud deuolvebat. Quicumq; in hoc loco damnationis sententiam tulere, nil nisi væ, & heu, clamitabant & lamentabantur. Ad hoc ergo formidabile & immane monstrum viri, cum paulatim accederemus, illicò horrendum exclamat ad ductores meos, hic meus est familiaris, simulque manum ad me comprehendendum protendit. Ego verò ingenti pauore correptus totis artibus cohorrui, & præ timore, quantum potui me ipsum in arcu contraxi; cum subito, velut è collegio Apostolorum, duo quidam veneranda canicie viri

viri, sacro cultu spectabiles comparuerunt,
 quos, quantū ex sacrarum imaginum aspe-
 ctu poteram coniectare, sacrosanctos An-
 dream & Ioannem Apostolos existimabam,
 quos ille tererrimus cum videret, statim
 repressus se subocculabat. Hi veró sancti
 duo, me familiariter acceptum deducebant,
 per angustas, antea memoratas, portas,
 urbemque interiorem peragrati, in campe-
 stem locum egressi sumus, in quo amæna &
 florentia prata fuere, quæ transgressi ad
 finem campi vallem virentem, & omni
 refertam amænitare offendimus, cuius ele-
 gantiam qua pulchritudinis, qua gratiæ expli-
 care, aut assequi dicendo nemo admodum
 possit. In media valle venerandus blandus-
 que cōsidebat senex, qui secum instar arenæ
 maris copiam habebat, & multitudinem
 puerorum. Hic ego tandem abiecto timo-
 re aliquantulum, ductores rogavi meos,
 ecquis ille senex, & quæ innumera illa turba
 pusionum foret? Hic, inquiunt est Abra-
 hamus, & hic de quo audisti sinus Abraha-
 mi. Et subito admonitus ab illis, cum vene-
 ratione adoravi, & salutavi illum, quem
 dicebant Abrahamum, & mox ceptum
 iter profecuti sumus. Vallem iam desinen-
 tem excipiebat silva oleis densa, vbi maior
 arborum, vti reor, erat copia, quam in cælo

sidera: ad vnamquamq; arborē quasi quod-
dam tabernaculum, atque in singulis taber-
naculis singuli lecti, in quibus singuli homi-
nes quiescebant. Ex quibus multos notā ad
aulam seu palatium reuertentes, multos in
urbem, quosdam verò in agris degentes, &
noñullos præterea ex hoc nostro cænobio.
Omnes verò quos noueram, iam defuncti
erant. Cum autem cogitarem quærere,
quæ illa olearum esset silua nobilis, quæque
illa omnia, in illa visa? anteuertunt interro-
gationē senes. Quid, inquit, sollicitè cogi-
tas, quod sit hoc peramænū nemus, quæq; in
illo spectas? Hæ sunt de quibus audis, multæ
illæ mansiones (apud te Christe seruator)
pro cuiusq; promeritis & virtute distributæ.
Post nemus illud vrbs erat, cuius pulchritu-
do, varietas, & mœniū compositissima stru-
ctura inexplicabilis videtur. Duodenis ver-
sibus velut cingulis, tota mœnia duodecim
lapidibus preciosis distincta coronabantur.
Singuli ordines seu Zonæ ex singulis lapidi-
bus constabant, ac singulæ lineæ, per se totū
orbē conficiebant. Quid de murorū plani-
tudinē, & rectitudine æqualitateq; memorabo,
quid singularem in omnibus symmetriam,
aptamque rotius vrbs substructionem præ-
dicabo? In muris portæ ex auro argentoque
affabrè factæ erant. Intra portas pavimen-
tuda

rum aureum aperiebatur, quod mox ædes aureæ excipiebant, in quibus aureæ sedes, aurei abaci seu mensæ. Tota præterea vrbs lumine inenarrabili illustrata; plena odoribus, plena gaudijs. Urbem cum totam obiremus, non hominem, non iumentum, non alitem, non aliud, quod in terris æræue mouetur, vidimus. In summa autem vrbe hac, regia visenda, mirandaque extructa erat, ad ingressum regię, thalamus, cuius ambitus lapidis continebat iacti spatium. In extremo thalamo, seu conclauis, mensa ex vario marmore Romano, ad extremum vsque protendebatur, tantum à terra leuata, ut accumbere homo commodè posset, à discubentibus vndique cincta. Tota porro domus purissimo lumine collustrata, odorumque fragrantia, & omni elegantia, gratiaque redundabat. Ad finem thalami restudo erat permodica, in extrema cochlea solis amabile lumen admissum mensam respiciebat, ex quo gemini ephebi sole circumfusi prospectabant, vultu fulguris instar rutilantes, omni que splendore ad gratiam amicti & ornati, qui ductoribus meis senioribus præcipiebant, uti me quoque mensæ admouerent, locum simul designantes, ad quem me seniores deduxerunt: ipsi verò senes incerta aulæ parte confidebant. Ephebi verò

qui eunuchos referebant, ad interiorē sole collucentem sunt ingressi domum. Quidam morarentur, ego interim curiosē mensam illam oculis totam obibam, multosque illic familiares meos cognoui, & nonnullos ciues & ex nostro cœnobio religiosos nonnullos etiā ad regiam reuertētes. Post multas igitur horas, iuuenes illi rursus prospectantes senes illos vocabant: & reducite, inquit, hunc ad suos, quos ipse Deo genuit, filios, vehementer enim illius causa luctu affliguntur. Nam imperator, qui vocatur, vult illum in suo cœnobio viuere. In huius autem aliā viā reducti, locum, alium monachum, Athanasium nomine illum ex Traiani monasterio vobiscum adducite. Seniores igitur me extemplō & ex conclauī, & vrbe illa per compendium aliā viā educunt, vbi septenos lacus omni genere pœnarum refertos transiuimus, quorum hic densa nocte cœcus, alius igne, alius graueolēti nebula, alius sordibus vermium, alius item alio genere tormentorum ac pœnarum plenus erat. Generatim verò omnes infinitā hominum turbā obsidebantur miserandū in modum eiulantium. Hos vbi superauimus, aliumque per exiguum quendam locū rursus ad illum, quem dicebant esse Abrahamum senem peruenimus, quē proximum
iterum

iterum salutavi, qui mihi vini laticem dulciorem melle propinauit, triaque panis aridi crustula impertiuit, quorum vnum, vt videbar, comedi, vinum verò totū exhausti, reliqua duo frustra, in sinum deposui, quæ à vobis heri repetiui. Tum paulò post ad eum locum redijmus, vbi gigas ille prodigiosus, tenebricosusque erat, qui me viso horrendum frendens dentibus infremuit, ira que & dolore ardens, modò, inquit, euasisti, sed posthac omnis in te tuosque tentamenta machinabor. Hæc ergo fratres, mihi visa exposui. Quo vero pacto mihi fuerim restitutus, penitus ignoro. Hac visione enarrata, è vestigio ad Traiani cœnobium quidam missus, Athanasium monachū iam excessisse è vita videt, & in lectulo ex cella efferri. Quærenti, quando obiisset, responderunt illum pridie circa nonam defunctum; quando nempe Cosmas ad se ab illo rapto redierat, Nec multò post ambo monasteria, veluti sibi vicina in vnum coaluerunt, quæ hodieque ab vno præfecto administrantur. Triginta annos à visione Cosmas superuixit, quo superstite in cœlesti vita pietas, coniunctis & optimè compositis duobus cœnobijs non exigua incrementa cepit, cùm quod religiosi cum magna, Deoque probata vitæ sanctimonia crescerent, tum quod a nui cen-

42 ANNOTAT. AD COS. MONACH.

fus ad victum locumque vnde vnde au-
gentur, omnia ad Dei, hominum semper
amantis laudem & gloriam, Amen.

ANNOTATIONES.

Est huius Cosmæ in Menologio Græcorum
hoc eodem die mentio. Similia porro visa
multa apud D. Gregorium in 4. Dialogo. Be-
dam lib. 5. historiæ Angl. cap. 13. 14. 15. Carthusianū
in colloquio de Iudicio animarū, & in Brigittæ vi-
sionibus leguntur. Refert & formidabilem raptum
in Pelignis, cuiusdam qui è carcere ad inferos du-
ctus, & ex inferis in carcerem reductus, Alexander
ab Alexandris lib. 6. Genial. cap. 21. Extrat & libellus
apud Bredenbachium lib. 8. c. 39. fratrum S. Vin-
centij Metensis de admirabili visione Yguentini
quondam Canonici. Infra plura ex Menæis.

Nec ignoramus hæreticos hæc omnia, quam-
vis testata, ad deum Fabulinum ablegare, nec pas-
sim ab ijs hæc credi, nisi in rem præsentem veniant,
& ad ipsa inferorum præsepia descendant, vnde ne-
gant quemquam pedem retulisse.

9. Octobr.

Metaphr.

27. Febr.

apud Suri-

um.

Martyro.

log. Rom.

9. Octobr.

Menolog.

ead. die.

SS. ANDRONICVS ET
ATHANASIA CONIVGES.

& ANACHORETAE.

Divus hic Andronicus Antiochenus il-
lustri patria, argentariam exercebat,
admodum pius, & optimis virtutum studi-
is abunde deditus, & a fortunis copiosus,

VXO-